

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Gravamina sacri Romani Imperii principum ac procerum**

**[S.l., Mainz], 1523**

Primvm, qvibvs modis laicorvm bona immobilia ad ecclesiasticorum  
manus, & non contra, ab ecclesiasticis ad laicos perueniant

[urn:nbn:de:bsz:31-114121](#)

uel nequiter uersatus fuerit occisus sacerdos, uel alias ecclesiastici ordinis ascriptus, licet iura canonica ipsa in quibusdā casibus, modum negocio præscribant, prægrauantur. Ita & ex delicto unius, centum alijs nihil tale commeriti, nedum contra communem æquitatem, sed & contra omnia diuina & humana iura.

DE ONERIBVS SACRI R.O. IMPE. STATV.  
um laicorum, contra Archiepiscopos, Episcopos, cæterosq;  
prælatos ecclesiasticos, eorum quoq; Capitula, ac  
suffectos iudices, quos uocant, ecclesiasticos.

PRAETER onera supra memorata Archiepiscoporū  
Episcoporum & prælatorum, quod hijs, ut prædictum  
est, à sede Romana conseruatores delegatos, atq; id genus  
alios plerosq; ecclesiasticos impetrant iudices, per quos laici  
non ferendis aggrauantur modis, quod non omnino infre-  
quenter euénit, ut laici in periculum ac perniciem animæ,  
æstimationis, corporis atq; bonorum perducantur, ac quan-  
tum per hos stat iudices, pertrahantur etiam. Sed hic non  
dum finis. Sunt enim complura adhuc alia grauamina, pro-  
ut sigillatim ea per capitanunc recensebuntur.

PRIMVM, QVIBVS MODIS LAICORVM  
bona immobilia ad ecclesiasticorum manus, & non  
contra, ab ecclesiasticis ad laicos perueniant.

ITEM, quum à sede Romana constitutionibus sit cautū  
ac prouisum, ne bona ecclesiastica, præsertim immobilia  
regulariter personis laicis, unquam distrahi aut uendi pos-  
sint, & tamen ecclesiastici, nulla cogente necessitate, sed tan-  
cum, ut eorum res familiaris reddatur lauior, crescantq; cē-  
sus, nunquam non cessant, laicorum prædia emptionibus,  
innumerisq; alijs modis ad se pellicere, si qua tandem sit pos-  
sibile uia. Quod ipsum quoq; statibus laicis graue, damno-  
sum, ac intolerabile est. Quam ob rem Sa.Ro.Impe. Status  
laici reipub. Germanorum utile, necessariumq; putauerunt  
si omnia

si omnia bona immobilia, soli s. quæ posthac aliquo quoctū  
q; tandem titulo à laicis ad ecclesiasticos peruenirent, pos-  
sent à laicis super oribus quorum ditioni prædia hæc sub-  
iecta forent, tandem ab ecclesiasticis redimi, lui, atq; iusto  
præciouendi cari, non considerato, quicquid contra hoc  
privilegiorum prætenderent ecclesiastici.

Q VOMODO EPISCOPI BONA HEREDITA  
ria ecclesiasticorum ad se trahere conentur.

**N**EC raro et illud factio contigit, quod quium personæ  
ecclesiasticæ bona hæreditario titulo, à maioribus su-  
is, una cum cæteris cohæredibus, iure hæreditario si-  
bi forte usurparent, ac si dehinc intestati deceſſissent eccl-  
esiastici, tum per episcoporum nonnullos sibi ipsis bona illa  
hæreditaria laicorum uendicari cæperunt, non in medio-  
crem proximorum uenientium ab intestato cognatorum  
perniciem aciacturam. Quæ res ipsa quoq; laicis non ferē-  
da, imo omnimodo onerosa, intollerabilisq; est.

Q VO INGENIO, BONA Q VAEDAM LAICA  
quæ ecclesijs, aut alijs religiosis domib; certis pactio-  
nibus uendita sunt, uel hypothecata, ditioni  
Ecclæsticæ subiugari conentur.

**A**D hæc, si quando casu ita contingit, quod bona laica  
temporali iurisdictioni subiecta, fructibus, redditibus  
cæſibus uel annuis ecclesijs, accæteris religiosis domi-  
bus legentur, uendantur, hypothecantur, aut quoq; alio  
titulo tradatur, uel à laicis erga Ecclesiæ ac monasteria an-  
nuo censu tributaria efficiantur, moliuntur ecclesiastici, ta-  
lia prædia laica ex ciuili potestate ac ditione in ecclesiasticā  
transferre, atq; huic utcunq; iniquo illicitoue conatui, Epi-  
scopi, ecclesiasticiq; patrocinantur prælati, tuenturq; rem  
longe iniquissimam, tantum abest, ut in hoc quemquam  
reuereantur ecclesiastici.

DE COLLA.